

NESTOR ABBAS.  
INNOCENTIUS.  
REMIGIUS.

LACTANTIUS.  
CÆSARIUS.  
PETRUS DAMIANUS.

AUCTORES HUMANITATIS GRÆCI ET LATINI.

DEMOSTHENES.  
PLUTARCHUS.  
STOBEUS.  
PLINIUS.  
VAL. MAXIMUS.  
M. T. CICERO.

SENECA PHILOSOPHUS.  
SYDONIUS.  
VEGETIUS DE RE MILI-  
TARI.  
AULUS GELLIUS, QUAM  
IPSE GELLIUM VOCAT.



ABSTINENTIA.

1. Bonum est in cibo, cum gratiarum actione percipere quicquid Deus edendum præcepit. Abstineri autem ab aliquibus non quasi malis, sed quasi non necessariis, non est malum. *Aug. de difin. rectæ fidei.*

2. Non interest omnino scilicet ad veritatem, quid alimenterum vel quantum quis accipiat: dummodo id faciat pro congruentia hominum, cum quibus vivit, et personæ suæ, et pro valetudinis suæ necessitate, sed quanta facilitate et serenitate animi his valeat, quom oportet, vel necesse est carere. *Aug. in li. de quæsti. evang.*

3. Quam suave mihi subito factum est, á suavitatibus nugarum abstinere, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium est. Ejiciebas enim eas á me: tu verò summa suavitas intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini, omni luce clarior, et omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. *Aug. 9 confessionum.*

4. Ulantur divites consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant se aliter non posse. Melius enim possent, si aliter possent. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate: tu quare extolleris de infirmitate? Ulere cibis electis, pretiosis, quia sic consuevisti, aliter non potes: quia si consuetudinem mutas, ægrotas: conceditur tibi, utere superfluis, da pauperibus superflua. Ulere pretiosis, da pauperibus vilia. *Aug. de verb. domini c. 4. tractans illud. Vermis divitiarum superflua.*

5. Qui sic se á carnibus temperant, ut alias escas difficilius præparationis et pretii majoris inquirant, multum errant. Non enim est hoc suscipere abstinentiam, sed imitari luxuriam. *Aug. in ser. de dominica. 4. in adventu.*

6. Abstinentia tua atque jejunium tuum eò magis Deo grata sunt, quò cum moribus sanctis offeruntur: ut quæ in aliis sunt umbracula vitiorum, in te sint

ornamenta virtutum. *Hic. in epi. ad Dem. virginem.*

7. Nonnulli vitam pudicam appetentes, in medio itinere corruerunt, dum solam abstinentiam carniū putant, et leguminibus onerant stomachum, quæ moderatè parcèque innoxia sunt: et ut quod sentio, loquar, nihil sic inflamat corpora, et titillat membra genitalia, sicut indigestus cibus victusque convulsus. *Hic. in epi. ad Furiam.*

8. Mater sanitatis est abstinentia, mater ægritudinis voluptas, sine enim carne et vino citò friget Venus: et à patre Libero, ad inconcessam Venerem gradus est proximus intemperantiæ. *Hic. in quadam epist.*

9. Modicus ac temperatus cibus et carni et animæ utilis est. *Hic. ad Rusticum monachum.*

10. Ante annos robustæ ætatis periculosa est teneris abstinentia gravis. *Hic. ad Lætiam.*

11. Quid prodest tenuari corpus abstinentia, si animus intumescit superbia? Quid virtutis habet vinum non bibere, et ira et odio inebriari? *Hic. ad Celantiam.*

12. Abstinentiæ virtus nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet, aut valde inordinata est, si atterit plus, quam valet. *Greg. lib. 20. moral.*

13. Per abstinentiam carnis vitia extinguenda sunt non caro. Sic necesse est, ut artem continentiae quisque teneat, quatenus non carnem, sed vitia occidat. Sæpe enim dum in illa hostem insequimur, etiam civem quem diligimus trucidamus, et sæpe dum quasi concivi parcimus, ad prælium hostem nutrimus. *Greg. lib. 30. moral.*

14. In abstinentia discretio servanda est.

15. \* Eisdem alimentis vitia superbiunt, quibus nutritæ virtutes vivunt, et cum virtus alitur, plerumque vires vitii augmentantur: quum verò immensa abstinentia vitiorum vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat. *Ibidem.*

16. Incassum per abstinentiam corpus atteritur,

si inordinatis moribus dimissa mens vitii dissipatur. *Greg. in pastoral.*

17. Qui à paradisi gaudiis per cibum cecidimus: ad hæc in quantum possumus, per abstinentiam resurgamus. *Greg. in homil.*

18. Plerumque dum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem vel prædicationem non sufficiat, dum incentiva vitiorum in se funditus suffocare festinat. *Greg. in hom. et 30. mor.*

19. Per Simonem, qui signantur, nisi abstinentes, qui foris carnem afficiunt, interius tamen fructum abstinentiæ non acquirunt? Crucem igitur Domini Simon in angaria portat: quia cum ad bonum opus sine bona voluntate ducitur, rem bonam sine fructu operatur. Simon ergo crucem portat, sed in cruce non moritur: quia abstinentes exterius per abstinentiam corpus afficiunt, sed interius per desiderium mundo vivunt. *Greg. super Evang. part. 5.*

20. Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando et à licitis caute restringit. *Greg. 5 lib. mora.*

21. Abstinentia est, quando quis pro amore Dei et salute propria, non ab illicitis tantum, imo interdum et à licitis atque concessis se cohibet. *Ibidem.*

22. Abstinentia est, quæ edendi horam non prævenit, ut fecit Jonathas in favo mellis: non lautiora quærît edere, ut Israelitæ in deserto: non accuratius parere, ut filii Eli in Silo: non ad superfluitatem, ut Sodomitæ, non vile quodlibet, ut Esau edulium in fame concupivit. *Greg. in homil.*

23. Chorda in cithara si minus tenditur, non sonat: quia nimirum tanto quisque sibimet debet moderamine præesse, ut ad culpam caro non superbiat: et inde ad effectum rectitudinis in operatione subsistat. *Greg. 15. mor. super illud: Versa est in luctum cithara mea.*

24. Magnus discretions labor est exactori, et aliquid impendere, et aliquid denegare: et non dando gloriam restringere, et dando naturam nutrire. *Greg. lib. 30. mora.*

25. Cogitandum summopere est, ut qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam et etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, ut qui commisit prohibita, sibi metipsi abscindere debet et concessa, et se reprehendat in minimis, quem meminit in maximis deliquisse. *Greg. ho. 35 super evang.*

26. Sic abstinere vel jejunare debemus, ut non nos necessitati jejunandi subdamus, ut jam non devoti, sed inviti rem voluntariam faciamus. *Prosper lib. 2 de vit. contem.*

27. Qui cibis abstinent, et mala agunt, demones imitantur, quibus culpa adest, et cibus deest. *Isidor. sup. Amos. prophet.*

28. Ciborum saturitas carnis luxuriam suscitatur: edacitatis vitio crescit carnis tentatio. Saturitati semper libido adjuncta est. At contra, jejunio libido restringitur, jejunio luxuria superatur. *Isid. 2 lib. soliloqui.*

29. Nihil sic jucundum est, ut cibus bene digestus ac decoctus. Nihil sic ad salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, ut moderata refectio. Sufficientia quippe cum nutrimento et sospitate, simul etiam procreat voluptatem, exundantia verò morbum facit, et molestias ingerit, et ægritudines generat. Quod etiam facit fames: hoc etiam facit plenitudo ciborum, magis autem pejora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, et liberat ex hac vita pœnali: excessus verò ciborum consumit et putrescere facit corpus humanum, et macerat ægritudine diuturna, et tunc eum morte crudeli consumit. *Chrys. sup. ep. ad heb. sermo 29.*

30. \* Abstinemus magis propter sanitatem quam propter beatitudinem. *Idem super Mat. hom. 31.*

31. Moderantia est, nimium ciborum appetitum rationis imperio revocare. *Hug. de S. Victore.*

32. Semper virtuti cibus jejunium fuit, de abstinentia quoque prodeunt castæ cogitationes, rationabiles virtutes, salubria consilia, et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, et virtutibus

spiritus innovatur. *Leo papa in ser. de jejunio de ei. mensis.*

33. Melior est rationabilis quotidiana cum moderatione refectio, quam per intervalla arduum longumque jejunium. Novit immoderata inedia non solum mentis labefactare constantiam, sed etiam orationum efficaciam reddere lassitudine corporis enervatam. *Joan. Cassian. de instit. monachor. li. 5.*

34. Ipsi enim fit gravior consuetudo subtracti cibi, qui se escis aliis nesciunt consolari. *Cas. super psal. 130.*

35. Diruptum ganea stomachum nulla sarcire remelius, quam parsimonia solet. *Cas. in quadam. epis.*

36. Multis tormentum est vino carere, et prima luce excitari. Non est summa felicitatis nostræ in carne ponenda. *Seneca in epist. 75.*

37. Molestum est iniquis carere assuetis voluptatibus, abstinere cibo, sitire, esurire, hæc primo abstinentiæ gravia sunt, deinde cupiditas relanguescit. Ipsi per se cupiditatibus fatigatis ac deficientibus ante morsus est stomachus, inde quibus fuit aviditas cibus odium est, desideria ipsa moriuntur. *Se. 39 ep.*

Vide etiam in tit. Caro, numero 7 et 11. In titulo, Conjugium, numero 6. In titulo, Consuetudo, numero 3. In titulo, Discretio, num. 13 et 14. In titulo, Eleemosyna, num. 11. In titulo, Gula, Jejunium, et Infirmas num. 2. In titulo, Servitium num. 3 et 11. in titulo Sobrietas et Temperantia, per totum.

### ABUSIO.

1 Magna abusio, parcitas putatur avaritia, sobrietas austeritas creditur silentium tristitia reputatur. Econtra, remissio discretio creditur, tristitia silentium reputatur. Loquacitas affabilitas, cachinnatio jucunditas, molities vestimentorum et equorum fastus honestas, lectorum superflus cultus munditia. *Bern. in apolog.*

2 Magna abusio est, ut corpus induatur, et contra regulam suis vestibus anima nuda deseratur. *Ibid.*

3. Mira abusio, domus ardet, ignis instat á tergo, et fugienti prohibetur egredi, et hoc ab his, qui in incendio positi sunt. *Bern. in epist.*

4. \* Cæco lumen, surdo sermonem, sapientiam bruto offerre, labor irritus. *Ciprian.*

5. Duodecim sunt abusiones claustrum, quibus tota religionis summa corrumpitur: scilicet, praelatus negligens, discipulus inobediens, juvenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, religiosus caudicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, tumor in claustrum, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreverentia juxta altare. *Hug. l. 2 de claustr. anima.*

6. \* Inter abusiones hujus sæculi sola major est senis obstinatio. *Ibidem.*

7. Duodecim sunt abusiones sæculi, scilicet sapiens sine operibus, senex sine religione, adolescens sine obedientia, dives sine eleemosyna, femina sine pudicitia, dominus sine virtute, Christianus contentiosus, pauper superbus, rex iniquus, episcopus negligens, plebs sine disciplina, populus sine lege. *Augu. de 12 abusio.*

8. Ridiculosa res est, aut magis periculosa, speculator cæcus, doctor inscius, præcursor claudus, praelatus negligens, præco mutus. *Gilbert.*

Vide etiam in titulo, Caro, num. 15. In titulo, Prælatio, num. 62 et 44.

### ACCEPTIO PERSONARUM.

1. Si hanc distantiam sedendi et standi, ad honores ecclesiasticos referamus, non est putandum leve esse peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini gloriæ. Quis enim ferat, eligi divitem ad sedem honoris ecclesiæ, contempto paupere instructiore et sanctiore? *Aug. et est in glosa. Jac. 2. super illud: frat. mei nolite in personarum acceptione, etc.*

2. Absit Domine, ut in tabernaculo tuo præ pauperibus accipiantur personarum divitum, aut præ ignobilibus nobiles: quando potius infirma mundi elegisti,

ut confunderes fortia. *Augu. in quodam ser.*

3. Inter omnia peccata sacerdotum est maximum quod non causas, sed personas considerant, et despecto justo paupere, injustos divites honorant. *Amb. sup. Malach.*

4. Non sanguinis neclitudo, sed virtutis cognatio proximos facit. *Amb. ibi.*

5. Quicumque consanguinitate aut amicitia, vel econverso hostili odio vel inimicitia in judicando ducitur, pervertit judicium Dei Christi, qui est justitia. *Hie. in originali super Amos.*

6. Multa nos facere cogit affectus, dum propinquitatem respicimus corporum, et corporis et animæ offendimus Creatorem. *Hier. in epis. ad. Fabiol.*

7. Nec bonis adversariorum si honestum quid habuerint detrahendum, nec amicorum laudanda sunt vitia, et unumquodque non personarum, sed rerum pondere judicandum est. *Hier. ad Panmachium.*

8. Personam hominis accipere, est hominem non quia homo, sed propter aliquid quod circa ipsum est honorare. *Gregor. in ho. et mor.*

9. Judicare dignè de subditis nequeunt, qui in subditorum causis, non merita, sed odium vel gratiam consequuntur. *Gre. in hom.*

10. Judices iniqui errant á veritate sententiæ, dum intendunt qualitatem personæ, et exulcerant sæpe justos, dum improbè defendunt iniquos. *Isid. 3 de sum. bono.*

11. Dives cito muneribus corrumpit judicium, pauper autem dum non habet quid offerat, non solum, audiri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur. *Isid. ibidem.*

12. Acceptio personarum, est quedam fatua reverentia exhibita alicui, non causa debita, sed propter timorem vel utilitatem. *Hugo.*

13. Vos non attenditis merita causarum, sed personarum, non jura, sed munera, non quod ratio dicet, sed quod voluntas affectet, non quod sentiat, sed quod mens cupiat, non quod liceat, sed quod

libeat, nunquam in vobis est ita simplex oculus, ut totum corpus sit lucidum, sed aliquid semper admittit fermenti, quo totam massam corrumpit. *Inn. li. 2 de vilitate conditionis humanæ.*

14. Pauperum causam cum mora negligitis, divitum causam cum instantia promovetis. In illis rigorem ostenditis, in istis ex mansuetudine dispensatis. Illos cum difficultate respicitis, istos cum facinore tractatis. Illos negligenter auditis, istos subtiliter auscultatis. *Ibidem.*

15. Si forte pauperum causam suscipitis, illos remisse fovetis, cum autem divitum causam suscipitis illos pertinaciter adjuvatis, pauperes despicitis, divites honoratis, istis reverenter assurgitis, illis despicabiliter communicatis. *Ibidem.*

16. Clamat pauper, et nullus exaudit, loquitur dives, et quilibet applaudit, dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes perducunt. Pauper locutus est, et dicunt quis est hic? et si offenderit, subvertent eum, clamat vim patiens, et nullus exaudit, vociferatur, et non est qui judicet. Diviti dicunt, tu sede hic benè, pauperi verò, tu sta illic vel sede sub scabello pedum meorum. *Ibid.*

Vide etiam in tit. Electio, num. 1. in tit. Eleemosyna num. 54. in tit. Gloria æterna, num. 21. in tit. Judex, num. 11, 31, 35, 40. in tit. Pielas num. 8.

### ACEDIA.

1. Acedia, est de virtutum laudabili exercitio utriusque hominis languida dejectio. *Gre. in ho.*

2. Acedia, est animi quidam languor, quum legere non libet, orare non delectat, meditationes solite non sentiuntur. *Bern. in epi.*

3. Quum te acedia vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere atque desistere à studio spirituali: sed juvantis require manum, trahi te post eum obsecrans. *Bern. ibid.*

4. Acedia, est quidam animi torpor, quo quis ne-

gligit aliqua bona inchoare, aut fastidit perficere. *Ber. in ser.*

5. O homo imprudens, millia millium ministrant ei, et decies centena millia adsistunt ei, et tu sedere præsumis? *Ber. ibid.*

6. Vult et non vult piger: pigri vocabulo denotatur qui vult regnare cum Deo, et non laborare pro Deo. Delectant præmia quum pollicentur: deterrent certamina quum jubentur. *Beda sup. Prov. li. 2.*

7. Non dormientibus provenit regnum cælorum, nec otio et desidia torpentibus beatitudo æternitatis repromittitur. *Leo papa ser. de apparitione.*

8. Acedia circa horam sextam maxime monachum inquietat, ut quædam febris ingruens tempore prælitato, ardentissimos æstus accensionum suarum solitis ac statulis horis animæ inferens ægrotanti. *Joan. Cas. lib. 10 de institutio. monachor.*

9. Experimento probatum est, acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam. *Idem in eodem lib.*

10. Acedia est solitariis magis experta, et in eremo commorantibus infestior hostis ac frequens. *Idem in eod.*

11. Torpor et ignavia dicunt: si lectioni continuo studio semper insistis, oculorum caliginem incurris. Si indesinenter lacrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis. Si pro te latis vigiliis psalmorum censum persolvis, insaniam capitis acquiris. Si quotidiano labore te conficis, ad opus spirituale quando consurgis? *Aug. in lib. de conflictu vitiorum, et virtutum 9.*

12. Pigrilia, est animi inertia vel fatigatio, qua quis bonum inchoatum consummare fastidit. *Tullius de Tusculan. quæst.*

13. Luxurioso frugalitas pœna est, pigro supplicii loco labor est, desidioso studere, torqueri est. *Senec. epistol. 72.*

14. Non putant desidiosi posse fieri quicquam, quod facere non possunt, ex infirmitate sua de virtute ferunt sententiam. Nam hæc, ad quæ imbecilles sumus, dura atque intoleranda credimus; tormenta re-

putantes, vino carere, aut prima luce excitari, non ista difficilia sunt, sed nos fluidi et enerves sumus. *Ibid.*

15. Malè mihi esse malo, quàm moliter. Si mollis es, paulatim effœminatur animus, atque in similitudinem olii sui et pigritiæ, in qua jacet, solvitur, dormio minimum, et brevissimo somno utor, satis est mihi vigilare desiisse. Aliquando me dormisse scio, aliquando suspicor. *Sen. 35. ep.*

16. Nihil agere, semper infelici est optimum. *Sen. in prov.*

### ADJUTORIUM.

1. Homines omnes æque diligendi sunt, sed omnibus si prodesse non possis, his potissimum subveniendum est, qui pro locorum et temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictis, tibi quasi quadam sorte uniuntur. *Aug. de doctrina christiana lib. 1.*

2. Hæc lex est divinæ providentiæ, ut nemo à superioribus adjuvetur ad cognoscendam gratiam Dei, qui non ad eandem puro affectu inferiores adiverit. *Augu. de vera relig.*

3. Justum consilium est, ut qui se à potentiori vult adjuvari, adjuvet et inferiorem, si est ipse potentior. *Augu. de ser. in monte. lib. 1.*

4. Nihil sic probat amicum, sicut onera amici portare. *Augu. de ver. apostoli. 120.*

5. Eleganter dictum est, cum quis in puteum cecidisset, et aqua eum suffocaret, accessit alius, et eo viso admirans ait, quomodo huc cecidisti? Obsecro, inquit, cogita quomodo hinc me liberares, non quomodo huc ceciderim, quæras. *Aug. in quadam ep. ad Hier.*

6. Non facile inveniuntur in adversitate præsidia quæ non fuerunt in pace quæsita. *August. in serm.*

7. Necessitates aliorum quantum possumus, juvamus, et plus interdum, quam possumus. Nihil tam secundum naturam est, quam juvare consortem naturæ. *Ambr. de offic.*

8. Si non potest alteri subveniri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quam gravari alterum. *Ambr. de offi. lib. 3.*

9. Illis favemus sæpius, à quibus referendæ gratiæ vicem speramus. *Ibidem.*

10. Vult enim Deus unumquemque alterius angustias, ut proprias sentire, et quomodo sibi in tali tribulatione, si esset, subveniri cuperet, ita ipse alteri propter Deum subvenire non postonat. *Hier. in epi.*

11. Impudens postulatio tempore necessitatis et angustiae ab eo quarere auxilium, quem in prosperitate contempseris. *Hiero. sup.*

12. Habens loquendi locum apud divitem, damnationem pro retento talento timeat, si non apud eum, sicut valet, pro pauperibus intercedat. *Hier. lib. 1. super illud: In tempore afflictionis dicet, surge &c.*

13. Habens intellectum, curet omnino ne laceat, habens rerum affluentiam, à misericordia non torpescat, habens artem qua regitur, usum illius cum proximo partiatur, habens loquendi locum apud divitem, pro pauperibus intercedat: talenti enim nomine cuilibet reputabitur, quod etiam minimum accepit. *Greg. in quadam ho. super parabolam talentor. 1. 2.*

14. Qui potest emendare et negligit, participem se procul dubio constituit: qui alterius bonum adjuvat, suum facit. *Greg. in regi.*

15. Minus proximum amare convincitur, qui non cum eo in necessitate illius, ea quæ sunt sibi necessaria, partitur. *Gre. in ho.*

16. Adjuvare imbecillem charitatis est, adjuvare velle potentem, elationis. *Greg. 7 mor.*

17. Tunc amor tuus ad te ipsum temperans erit, et justus, si quod propriis subtrahitur voluptatibus, fratris necessitatibus non negetur: sic amor socialis efficitur, quum in commune protrahitur. *Ber. de diligendo Deo.*

18. Oleum pietatis et miserationis unguentum,

quantò copiosiùs in fraternas necessitates effunditur, tantò donis potioribus augmentatur. *Cas. in quadam epist.*

19. Age sic aliud, ut tuum non obliviscaris negotium: amicis ita enim prodesse debemus, ut nobis non noceamus. *Ibid.*

20. Quid tibi fidelissime opus sunt arma, qui habere talia probaris auxilia? ipse enim pro te pugnabit, cui nullus resistit, ipse insequitur, quem nullus declinat. *Cas. super psal. 55.*

21. Gratum debet esse subsidium, cujus solum magis solventi crescit in commodum, quam suscipienti proficiat in augmentum: et quod dantem juvat et accipientem pro temporis necessitate lætificat: ut sic in una mercatione, quod raro solet emergere, uterque videatur desiderata commoda percepisse. *Cas. in quadam epist.*

22. Nullius ope indigere se putat, qui alteri suam neget. *Lactant. lib. 6.*

23. Satis ibi vacillat humanum studium, ubi non requiritur Dei auxilium. *Aure. in quodam ser.*

23. Homini jucundo et probo miserimum est, si eum adjuvare oportet, quem non juvat. *Sen. de benefic.*

24. Habet in adversis auxilia, qui in prosperis commodat. *Senec. in prov.*

25. Qui succurrere perituro potest, quum non occurrat, occidit. *Ibid.*

26. Nemo non quum alteri prodest, sibi profuit, virtutum omnium pretium in ipsis est, rectè fecisse, facti merces est. *Senec. 82. epist.*

27. Succurrere paupertati amicorum stude, imo potius occurre. *Ibidem.*

28. Pœnam à quo merueris, frustra petis auxilium. Ab alio expecta, alteri quod feceris. *Sen. c. 45.*

29. Alteri vivas oportet si tibi vis vivere. *Id. de ira.*

30. Homo in adjutorium mutuum generatus est *Tullius de amicitia.*

31. Fructus ingenii et virtutis omnisque; præstan-

tia: tunc maximus capitur, quum in proximum quemque confertur. *Idem 1. Off.*

32. Homines hominum causa generati sunt, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint.

Vide etiam in tit. Desperatio num. 7. in tit. Dillectio num. 7. in tit. Misericordia num. 4. in tit. Tribulatio num. 8.

### ADVENTUS DOMINI.

1. Nulla causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla causa est medicinæ. Venit ergo de cælo magnus medicus, quia per totum ubique jacebat agrotus. Genus ergo humanum totum perierat, ex quo peccavit unus, in quo totum erat, ideo venit unus sine peccato, qui salvos faceret omnes sine peccato. Non enim eum de cælo ad terram merita nostra, sed peccata traxerunt. *Aug. sup. Joan. 5 in glos. 1 Timoth. 5.*

2. Pater et filius et spiritus veniunt ad nos, dum venimus ad eos: veniunt subveniundo, veniunt illuminando: veniunt obediendo: venimus metuendo, veniunt implendo, venimus capiendo. *Aug. sup. Joannem.*

3. Hoc tempus non sine causa Domini adventus vocatur, ideo enim sancti patres celebrare cœperunt adventum, ut se unusquisque præparet fidelis et emendet, ut dignè Dei sui natalitatem valeat celebrare. *Amb. sup. Lucam.*

4. Ille justus venit ad nos peccatores, ut ex peccatoribus faceret justos: pius venit ad impios, ut nos pios: humilis venit ad superbus, ut ex superbis faceret humiles. *Amb. ibid.*

5. Non prius veniet Dominus, quam regni Romani defectio fiat, et appareat Antichristus, qui interficiat sanctos, reddita Romanis libertate sub suo tantum nomine. *Amb. sup. 1. Tessa. 1.*

6. Signum adventus Dominici est, in toto orbe

evangelium prædicari, ut nullus sit excusabilis, quod aut jam completum est, aut in brevi credo completum, non enim puto aliquam remansisse gentem quæ Christi nomen ignoret. *Hier. super Matth.*

7. Dignum est fratres ut tota devotione Domini celebremus adventum, delectati tanta consolatione, stupefacti tanta dignatione, inflammati tanta dilectione, nec solum cogitemus adventum quo venit et quare, quia salvum faceret quod perierat, sed et illum nihilominus quo veniet, et assumet nos ad seipsum; ut circa hos duos adventus jugi meditatione versemur, ruminantes in cordibus nostris quantum in priore præstiterit, quantum promiserit in secundo. *Ber. in ser. de adventu.*

8. Venio ut errantes corrigam, et infirmantes adjuvem, et dubitantes in fide confirmem, et bene agentium fructibus perfectis quasi suavissimis pascar, et certantes ab hostium defendam insidiis, et victores hostium, perpetuæ visionis meæ corona munerem. *Beda sup. cantica li. 5 sup. illud: Veni in ortum meum.*

Vide etiam in tit. Antichristus num. 10 et 12. in tit. Incarnatio et in titulo Judex. num. 3, 4, 12, 13, 17, 20, 21, 23, 26, 28. in tit. Mors num. 9. in tit. Resurrectio num. 8 et 10.

### ADULATIO.

1. Adulatio est fallaci laude seductio. *Aug. super Psal.*

2. Duo sunt genera persecutorum, scilicet vituperantium, et adulantium: sed plus persequitur lingua adulatoris, quam manus persequentis. *Aug. super Ps. 59.*

3. Falsa laus adulatoris et simulata dilectio mentes à rigore veritatis emollit. *Aug. ibi.*

4. Sicut sumenda sunt amara salubria, ita semper vitanda est pernicioosa dulcedo. *August. de doctrina Christiana.*

5. Sicut adulantes amici pervertunt, sic inimici

litigantes plerumque corrigunt. *Aug. 9. l. confessio.*

6. Adulantium linguæ ligant homines in peccatis, delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudatur operator. *Aug. super Psal. 9.*

7. Magis optabo à quolibet reprehendi, quam ab adulante laudari. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis. Laudator vero errat et confirmat errorem. *Aug. 2. de Trinit.*

8. Adulatio falax, crudelis est.

9. Emolliri adulantibus non solum fortitudinis non esse, sed etiam ignaviæ videtur. *Amb. li. 1 de offic.*

10. Beata mens, quæ nec adulatur aliquando, nec adulanti credit, quæ nec decipit alterum, nec ipsa decipitur, denique nec malum facit; aliquando nec patitur. *Hieron. in ep. ad Demetriad.*

11. Isto maxime tempore regnat vitium adulationis, quodque est gravissimum: quia humilitatis ac benevolentiae loco ducitur, et ita fit, ut qui adulari nescit, aut invidus, aut superbus reputetur. *Hier. ad Celantiam.*

12. Rumusculos et gulosos et palpantes adulatorum quasi hostes fuge. *Hier. ibi.*

13. Natali ducimur malo, et adulatoribus nostris libenter favemus, et quamquam respondeamus nos indignos, et calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem suam anima intrinsecus lætatur. *Hier. in ep. 421. ad Sabinianum.*

14. Nihil est quod tam facile corrumpat mentes hominum, sicut adulatio, pius enim nocet lingua adulatoris, quam gladius persecutoris. *Hier. sup. Psal.*

15. Non sic adulandum est principibus, ut sanctorum Scripturarum veritas negligatur, nec generalis increpatio, cuius personæ injuria est. *Hier. sup. Isa. lib. 7.*

16. Ne credas laudatoribus tuis, imò irrisoribus aurem ne libenter accomodes, qui quum te adulationibus foverint, et quum te impotentem mentis effecerint, si subito respexeris, deprehendes post te



colla incurvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstantem canis protendi linguam. *Hier. in ep. ad Rusticum monachum.*

17. Nos ad patriam festinantes, mortiferos Sirenarum cantus surda aure transire debemus. *Hier. in quadam epist.*

18. Impinguat caput oleum peccatoris, quum demulcet mentem favor adulantis. *Gregor. ho. 12. super Evang.*

19. Quisquis malè viventibus adulatur, pulvillum sub capite jacentis ponit: ut qui corripit ex culpa debuerat, in ea fulcitus laude quiescat. *Greg. super Eze. hom. 11.*

20. Adulatio si ad tempus patienter suscipitur, augetur, et paulisper demulcet animum, ut angore suæ certitudinis inoleat in dilectione sermonis: sed ne crescere valeat, statim quum fit, sine mora finienda est. *Greg. ibi. super Ezech.*

21. Qui auditis blanditiis in altum se extollit, quid aliud, quam aurum reprobum fuit, quod fornax igne consumpsit? *Gregor. ibi.*

22. Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. *Bern. super Cant.*

23. Adulator omnis virtutis inimicus est, et quasi clavum figit in oculo illius, cum quo sermonem conferit: eoque magis cavendus est, quo sub amantis specie nocere non desinit, donec rationis obtundat acumen, et modicum illud luminis, quod adesse videbatur, extinguat. *Chrysost. in Policratico de vestigiis philos. lib. 3.*

24. Sicut finis Oratoris est, dictione persuasisse, et Medici, medicina curasse: sic adulatoris est finis, suaviloquio decepisse. *Chrys.*

25. Adulari est seductorum.

26. Cum aliquis actus moribus populi, ut placeat eis, quibus aures pruriunt, loquitur quæ gratanter accipiant, loquitur quæ vicina sunt voluptati, talis magister consuit cervicalia sub omni cubito manus. *Orig. 3. ho. super Ezech.*

27. Qui ad voluntatem meditata deportant, et illa semper inquirunt, quæ delectent potius audientes, quam convertant à vitiis, faciunt velamina super caput. *Orig. ibi.*

28. Ipsa peccati nutrix adulatio: quæ sicut oleum flammis in culpa ardentibus solet administrare fomentum. *Beda super Lucam lib. 2.*

29. Adulator est, qui lacet et dat consensum, ne offendat illum, quem credit habere propitium. *Ibidem.*

30. Adulator amicus in obsequio, hostis in animo, comptus in verbo, turpis in facto, lætus ad prospera, fragilis ad adversa, inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia, facilis ad humana difficilis ad honesta. *Hugo. de san. Vict.*

31. Oleum peccatoris, est dilectio simulata verborum, quæ adulationibus et blandimentis nostras mentes velut olei pinguedo, libenter ingrediens, rigorem veritatis emollit, et ad noxias cogitationes amoris ficti, vel potius ostentationis perducit. *Cassio. super illud psalm. Oleum peccat. non imping.*

32. Ficti adultores quum cœnas divitum captant nihil prius meditantur, quam illud quod putant gratissimum auditoribus fore, nam nec aliter impetrabunt quod petunt, nisi quasdam insidias auribus fecerint. *Cassiod. in quadam ep.*

33. Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus, salve dicit, prodigos vocat liberales, avaros parcos et sapientes, lascivos curiales, garrulos affabiles, obstinatos constantes, pigros maturos et graves, hæc sagitta leviter volat, et cito infigitur. *Cassiod. in quadam ep.*

34. Vitiis semper serviunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis, virtutibus verò austera et fortia sunt amica. *Pet. crysol. in quodam serm.*

35. Eliminat à palatiis adulatio veritatem, illi soli in magistratum gratiam admittuntur, qui palpant blanditiis, et aures famæ bibulas, calice Babylonis inebriant. Benè cum magistratibus ageretur, si scirent inter adulationem et laudem distinguere. Sed cæca

laudis ambitio plus credens alii de seipso, quam sibi, utrumque recipit indistincte ampliant eos beneficiis, quos torquere debuerunt, et à presuntione adulandi supplicis deterrere. Mordacissimus detractor in absentia nihil principaliter proponit, nisi quod placere existimat. Verba oris ejus, iniquitas et dolus. Cum enim sal correctionis in omni sacrificio accèptetur à Domino mel in omni sacrificio reprobatur.

*Pet. crys. in quadam ep.*

36. Hujus pestis pestilentia percutiunt principum laterales, palatini canes, adulationis artifices, fabri laudis, figuli falsitatis. Hi sunt, qui magniloqua, commendationis tuba in divitum auribus citharizant, qui mellicæ adulationis favos foras eructant, qui ut emungant munera, caput divitis oleo adulationis inungunt, prælatorum auribus pulvinaria laudum subijciunt, qui ab eorum palliis aut fictilium pulverem excutiant aut vestem ficticie deplumant implumem. *Alanus de complanctu, sive de conquestu naturæ.*

37. Isti penes munera, laudes, penes dona, favores, penes pretium, præconia famæ blandimentis constituunt. *Alanus ibid.*

38. Quid ergo adulationis unctio, nisi domorum emunctio? Quid commendationis allusio, nisi prælatorum delusio? Quid laudis arrisio, nisi eorundem derisio? *Alanus ibid.*

39. Adulatores à voluntate vultum, ab animo verbum, à mente linguam, ab intellectu loquelam amplo dissensionis intervallo diffibulant, plerumque enim exterius plausibiliter applaudendo collaudant, quos interius contradictoria derisione defraudant, foris vultu applaudunt virgineo, intus scorpionis pungunt aculeo, foris adulationis mellicos compluunt imbres, intus detractionis evomunt tempestates. *Alanus ibid.*

40. Diogenes Syracusis cum olera ei lavanti Aristippus dixisset, si Dionysio adulari velles, ista non ederes: imo inquit, si tu ista edere velles, Dionysio non adulaveris, hæc veridicus veritatis annuntiator, malens oleribus sustentari, quam magistratibus adulari.

*Valer. maxim. li. 4. de moderatio. rom.*

41. A turba quantum potes te separa, ne adulatoribus latus præbeas. Artifices sunt ad capiendos superiores, par illis etiam si bene caveris, non eris. Sed mihi crede, si capieris; ipse te trades. Habent hoc in se naturaliter blanditiæ, etiam quum rejiciuntur, placent, sæpe exclusæ novissime recipiuntur, hoc enim ipsum imputunt quod repellunt, et subijci quidem nec contumelia possunt. *Seneca de tusc. quaestio. lib. 8.*

42. Cito nobis placemus, si invenimus, qui nos bonos viros dicant, qui prudentes, qui sanctos. Non sumus modica laudatione contenti, quicquid in nos adulatio sine pudore congescit, tanquam debitum prendimus, optimos nos esse et sanctissimos affirmantibus assentimur, cum sciamus sæpe illos mentiri. Adeo quoque indulgemus nobis, ut laudari velimus in id, cui contraria tamen maxime facimus. *Seneca 60 epist.*

43. Alexander cum in obsidione cujusdam urbis circumisset muros, iclu sagittæ percussus, cum represso sanguine sicci vulneris dolor cresceret, et crus obstupisset, coactus absistere: omnes inquit, jurant me esse filium Jovis, sed vulnus hoc hominem me esse clamat. Idem nos faciamus, dicamusque: Vos quidem dic'tis me esse prudentem, ego autem video quam multa inutilia concupiscam, nocitura optem. *Seneca ibi.*

44. Intus teipsum considera, non qualis sis aliis credas. Plerumque boni inepti et inertes vocantur: mihi contingat iste derisus. Equo animo audienda sunt imperitorum convitia, et ad honesta vadenti continendus est iste contemptus. *Seneca 77 epist.*

45. Adulatio apertis et propitiis auribus recipitur, in præcordia ima descendit, venit ad me pro amico blandus iniuicis. *Seneca 45 epist.*

46. O te felicem hominem, si nihil habes, propter quod quisquam tibi mentiatur, nisi quum jam etiam causa sublata est, mentitur, consuetudinis causa, adu-

lator blandus consilium dabit, quod deliberanti gratius fore suspicabitur. Cassæ fidei sunt qui jugiter blandiuntur. *Senec. 81 epist.*

47. Adulatio quam similis est amicitia! non imitatur tantum illam, sed vincit et præcedit, eo ipso gratiosos facit, quo lædit. Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt: temeritas sub titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignavia: pro cauto timidus accipitur, in his magno periculo erramus. *Sen. in ep.*

48. Montrato tibi cujus rei inopia laborant magna fastidia, quid omnia possidentibus desit, unum scilicet verum dicat, dum nemo ex animi sui sententia dicit et suadet: sed adulandi certamen est unum amicorum omnium officium. *Sen. in ep.*

49. Malum hominem blandè loquentem, agnosce tuum laqueum esse. Habet enim suum venenum blanda oratio. Diogenes cuidam laudanti dixit: Adulator desine utrumque facere, nihil proficis, cum te intelligam. *Sen. in ep.*

Vide etiam in tit. Amicitia, 63, 86, Correctio, 12, 54. Error, 2. Laus, 1, 19. Prædicatio 13. Veritas 9, 10. Christus 13.

### ADVOCATI.

1. Non ideò debet iudex vendere justum iudicium, aut testis verum testimonium, quia vendit advocatus justum patrocinium, aut peritus verum consilium. Illi enim inter utramque partem ad examen adhibentur, isti ex una consistunt. *Aug. in ep. ad Maced.*

2. Nihil impudentius arrogantia advocatorum, qui garrulitatem, autoritatem putant, et parati ad lites, in subjectos tumida intonant. *Aug. in quodam serm.*

3. Justè advocato dicitur: Redde quod accepisti: quoniam contra veritatem fecisti, iniquitati adfuisti, iudicem fefellisti, justam causam oppresisti, de falsitate vicisti. *Amb. in serm.*

4. Justus advocatus à nullo injustas causas accipit, nec verba dare pro justitia sustinet. *Greg. super Ezech.*

5. Verbosum advocatum et studentem eloquentiæ, cum sapientiæ sit inanis, non aliud, quam justitiæ hostem reputes. *Bern. de consid.*

6. Hi sunt, qui docuerunt linguas loqui grandia, quum operantur exigua larguissimi promissores, paucissimi exhibitores, disertis adversus justitiam, eruditi pro falsitate, sapientes sunt, ut faciant malum, bene autem facere nesciunt. *Bern. ibi.*

7. Verbosus advocatus, aut rumpetur, aut loquetur, plenus est sermonibus, coarctatus est spiritus uteri sui, esurit et sitit auditores, quibus jaclitet vanitates: et habita oportunitate loquendi, si de literis agitur, nova profert et vetera, volant sententiæ, resonant verba ampullosa, interrogantem prævenit, et querenti non respondet. *Bern. ibi.*

8. Miror namque quomodo religiosæ aures tuæ audire sustinent hujusmodi disputationes advocatorum, et pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quam ad inventionem proficiunt veritatis. Nihil enim illa absque labore manifestam facit veritatem, sicut brevis et pura narratio. Præscinde ergo linguas vano loquas, et labia dolosa claudere. Hi sunt, qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, disertis adversus justitiam, eruditi pro falsitate, sapientes sunt, ut faciant malum, eloquentes ut impugnent verum. *Bern. ad Eug. pap. li. 1. cap. 9.*

9. Ranae significant clamorosas advocatorum allegationes, quæ inani et inflata modulatione velut ranarum sonis et cantibus mundo deceptionis fabulas intulerunt. Ad nihil enim aliud utiles, nisi quod sonum vocis improbis et importunis clamoribus reddunt. *Orig. sup. illud Exod. 8. Percutiam omnes terminos tuos ranis.*

10. Antiqui forenses eloquentiam, caninam facundiam nuncupabant, eò quod caudicini in certaminibus causarum, omissis, quæ agunt, veluti canes alterutrum lacerant. *Isid. 5. de sum. bon.*

11. Irritare, à canibus tractum est, quorum latratibus resonat plurimum. *Sidon.*

12. Hi sunt, qui causas protendunt adhibiti, impediunt prætermitti, fastidiunt admoniti, obliviscuntur locupletati. Hi sunt, qui emunt lites, vendunt intercessionem, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, atrahunt litigatos, protrahunt audiendos, retrahunt transigentes. *Cass. super illud psal. 75. Irritat adversarius nomen tuum.*

13. Hi sunt, qui negant civitatibus inducias, mercatoribus nundinas, emptoribus mensuras, reverentiam clericis, originem nobilem, locum prioribus, cunctis jura, distinctis privilegia, quibus nullum genus hominum, ordinum, temporum cordi est. *Cass. ibi.*

14. Hi sunt in conviviis scurræ, in exactionibus harpyiæ, in colloctionibus bestiarum, in questionibus statuarum ad intelligendum saxei, ad judicandum lignei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias pardi, ad faciendas ursi, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, et ad consumendum minotauri. *Cassiod.*

15. Hi sunt, quorum si nares afflaverit cujusquam ruginosi aura marsupii, confestim videbis illic oculos Argi, et manus Briarei, et sphyngarum ungues cum eo, et perjuriam Laomedontis, et Ulyssis argutias, et Sinoniam fallacias, et fidem Polymnestoris, et pietatem pigri Leonis adhiberi. *Cassiod. ibid.*

16. Quomodo inter armatos, argutos, tumultuosos, virtute numero, contubernio poterit ex æquo et bono solvi inermis, abjectus, peregrinus, pauper, audiri? ubi est gurgis de sutoribus fabularum, de concinnatoribus carminum, de publicatoribus sinistrarum opinionum, qui cum non habeant opera pro pomis, spargunt verba pro follis, et cum non adsit medulla sensuum, abundant spuma verborum. *Cas. ib.*

17. Apud causicos etiam ipsum silentium venale est, ac lingua eorum damnifica, nisi funibus argenteis ligetur. *Cass. ibi.*

19. Si quis armatur pecunia, tamquam loriceis argenteis, torrentis impetum Tulliani, fulgur incursum Hecorei, robor virtutis Herculeæ, versipelles Ulyssis vilipendit astutias. In tantum enim habendi fames in-

canduit, ut Dialecticæ muta sit subtilitas, Retoricæ languescat civilitas, ubi numerorum perorat pluralitas. *Alan. de conquest. nat.*

20. Si in aurem iudicis vel advocati susurret pecunia, Orphei lyra, carmen Amphionis, musa Virgilio, voce pecuniæ suffocantur. Quid plura? Ubi numus loquitur, Tulliani eloqui tuba raucescit: ubi numus militat, Hecoreæ militiæ fulgura compescuntur: ubi pugnat pecunia, virtus expugnatur. Herculeæ: numus vincit, numus regnat, numus imperat universis. *Alan. ibi.*

21. Nunquam deerit multiplex conventus falsorum; si tantum præsentia fuerit numerorum. *Alan. ibi.*

22. Postquam commoditas quædam parva virtutis imitatrix sine rationabili officio dicendi copiam consecuta est, tunc ingenio freta, malitia pervertit urbes, ac vitas hominum labefactare consuevit. *Tull. in prolog. Rhetor.*

23. Sæpe causas tantum differunt, quod litigantibus plus quam totum auferunt, quia major est expensarum sumptus, quam sententiæ fructus: nec terminantur negotia pauperum cepta, quousque eorum marsupia sint evacuata, cum tamen scriptum sit: Gratias accepistis, gratis date. Ipsi vero nec gratiam gratis dant, nec justitiam juste reddunt. Lucrum in arca damnum in conscientia. Sed quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiat. *Innoc. de vilitate conditionis humanæ.*

Vide etiam in tit. Adjutorium 13, 15. in tit. Consilium, 7. in tit. Eloquentia, in tit. Judex, 11, 29. in tit. Loquacitas, 6, 9. in tit. Tribulatio. 1, 16.

### AMBITIO.

1. Noluit Christus regnum terrenum cum superbia quæ cathedra pestilentiæ ideo recte dicitur, quia non fere quisquam est, qui careat amori dominandi, et humanam non appetat gloriam. *Aug. sup. psalm.*

2. Quoties hominibus præesse desidero, toties Deo

meo præire contendo. *Aug. ib.*

3. Ambitio possidet omnium virtutum præmia. *Id.*

4. Ærugo mentis est appetentia dignitatum, si in his suprema spes vitæ præsentis locetur. Resipiscat unusquisque furore secularium dignitatum et cupiditatum, quæ mentem animumque perturbant, et compos sui esse non possit. *Amb. super Luc. li. 5.*

5. Hoc ipso perniciosior ambitio, quod blanda est consolatrix dignitatum: et sæpe quos vita nulla delectat, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, facit ambitio criminosos, habet enim forensem gratiam, domesticum periculum, et ut dominetur, aliis prius servit, curvatur obsequio, ut honore donetur, et dum vult esse sublimior, fit remissior. *Amb. ibi.*

6. Prope omnium criminum fontes, hæc tria monstrantur esse genera vitiorum; scilicet gula, jactantia et ambitio. Causæ autem cupiditatis sunt, carnis delectatio, spes gulæ, et aviditas potentiae. *Ibidem.*

7. Sicut is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus: sic qui ultro ambit vel importune se ingerit, est procul dubio repellendus, nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo exterius, interius in profunda descendat? *Gre. in reg.*

8. Ordinate ad ordines accedendum est, nam causam appetit qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus per abrupta ascensum quaerit. *Greg. ibi.*

9. Quisquis sacerdotium non ad elationis culpam, sed ad utilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum eo quidem subituros onere metiatur, ut et impar absteineat, et ad id cum metu cui se sufficere existimat accedat. *Greg. ibi.*

10. Locus regiminis desiderantibus negandus est, fugientibus offerendus. Virtutibus ergo pollens coactus ad regimen veniat. *Gre. in past.*

11. Sicut toto desiderio debemus occupationem fugere, ita si desit qui præsidet, occupationis onus libenti necesse est animo subvenire. *Gre. in reg.*

12. Multi non tanta fiducia et alacritate currerent ad honores, si et se sentirent onere gravari, meluerent, nec cum tanto labore et periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc vero quia sola attenditur gloria, et non pœna, purum esse clericum erubescitur in ecclesia, sese viles aestimant, et inquilinos, qui quocumque eminentiori loco non fuerint sublimati. *Ber. in ep. ad hem. sen.*

13. An non limina Apostolorum amplius ambitio, quam devotio terit? an non vocibus ejus nostrum tota die resultat palatium? an non questionibus ejus tota legum canonumque disciplina insudat? an non spoliis ejus tota Italia inhiat inexplebili aviditate: non quod valde Romani curent, quo sine res terminentur, sed quia diligunt munera, sequuntur retributiones, nude nuda loquar, non detego verenda, sed inverecunda confuto. *Bern. de consid. ad Eug. lib. 5.*

14. O ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torques? omnibus places, nil acrius cruciat, nil mollestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus. *Bern. de conf. li. 3. De cruce diaboli et mundi agit.*

15. Ambitio futile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, linea sanctitatis, excæatrix cordium, ex remediis morbos creans, ex medicina languorem generans. *Bern. in quodam serm.*

16. Potestatis ambitio angelum felicitate angelica privavit, scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria spoliavit. Non Evam cibus deflexerat non mandatorum destituerat oblivio, sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit. *Bern. in quodam serm.*

17. Ambitio furoris causa. *Bern. Ep. 126.*

18. Omnis adeundi honoris ecclesiastici abscederet ambitio, si se judicandos potius, quam iudicatos, hi qui præesse volunt populis, cogitarent. *Orig. super ep. ad Rom.*

19. Ambitio est quædam Simia charitatis, charitas enim patiens est pro æternis, ambitio patitur

omnia pro caducis. Charitas benigna est pauperibus, ambitio divitibus. Charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate: utraque omnia credit, omnia sperat, sed longe dissimili modo. *Pet. Rav. in ser.*

20. Ambitiosus semper est pavidus, semper attentus ne dicat quod displiceat, humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur et obsequitur, cunctos honorat, universis inclinatur, frequentat curias, visitat optimates, assurgit et amplexatur, applaudit et adulatur. Unde novit istud poeticum: Et si nullus erit pulvis, pulverem tamen excute nullum. *Innoc. de vilitate conditionis humanæ.*

21. Ambitiosus promptus et fervidus, ubi placere cognoverit, remissus et tepidus ubi putaverit displicere. Improbat mala, detestatur iniqua, sed alia cum aliis probat et improbat, ut judicetur idoneus, ut reputetur acceptus, ut laudetur ab omnibus, ut a singulis approbetur. Sed ecce gravem intra se sustinet pugnam difficilemque conflictum, dum iniquitas pulsatur animam, ambitio continet manum, et quod illa suggerit, hæc fieri non permittit. Colludunt ad invicem mater et filia, iniquitas et ambitio, hæc vendicat sibi publicum, illa secretum. *Ibidem.*

22. Ambitiosus statim ut est ad honorem promotus, in superbiam extollitur, in jactantiam effrenatur, non curat prodesse, sed gloriatur præesse, præsumit se meliorem, quia cernit se superiorem: priores dedignatur amicos, notos ignorat, externos comitatur, contemnit antiquos, vultum avertit, cervicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur, subesse non patitur, præesse molitur, subditis onerosus, omnibus infestus, præseps, molestus, arrogans, gravis et importunus. *Inno. ibi.*

23. Ambitio multos mortales falsos fieri coegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestimare, magisque vultum quam ingenium bonum habere. Est autem in hoc genere hoc molestum,

quod in magnanimis et munificis sæpius incidit potentia cupiditas. *Tull. in Rhetorica.*

24. Dulcedine gloriae gloriosum Alexandri pectus insatiabilis laudis amor accepit, qui Anaxarcho comiti suo ex auctoritate Democriti præceptoris sui innumera mundos esse referenti; hen me, inquit, miserum, qui ne uno quidem adhuc sum politus! Angusta homini possessio gloriae fuit, quæ deorum omnium domicilio sufficit. *Val. Ma. lib. 1.*

25. Gravissimum genus egestatis, in divitiis inopia. Relinque ambitionem, timida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum: tam sollicita, ne quemquam ante se videat, quam ne se, laborat invidia. Vides autem quàm miser sit is cui invidetur et invidet, et acrior est cupiditas, quo illam amplioris rei spes evocat. *Senec. 88. epistola.*

26. Equè ambitio non patitur quemquam in ea mensura beatorum conquirere, qua quondam fuit ejus impudens votum: nemo agit de tribunatu gratias, sed conqueritur quòd non est ad præturam usque perductus. Si desit consulatus, nec hoc quidem sufficit, si unus est ultra, cupiditas enim non unde venerit respicit, sed quò tendit. *Sen. in ep.*

27. Nunquàm improbæ spei quod datur satis est, omnia meruisse se existimat, nec satis pretio aestimatum putat. Majora enim cupimus, quo majora venerint, intentioque concitatio est. Ambitio sive cupiditas in magnarum opum congestu collocata, ut flammæ infinita vis acrior est, quo ex majore incendio emicuit. *Sen. de ben.*

28. Sic est de ambitione, quomodo de amica conqueruntur homines. Si verum affectum inspicias, non odiunt, sed litigant. Videbis voluntariam esse illis in eo moram, quòd ægre ferre ipsos et misere loquuntur, peccatores enim conqueruntur de molestiis amicæ, nec tamen dimittunt, et ambitionis, nec tamen eam dimittunt. *Senec. 25. epi.*

Vide etiam tit. cupiditas, núm. 28, 29. in tit. discretio núm. 6. in tit. gloria vana, núm. 23, 25, 31, 33, 34. in tit. honor pax, núm. 16. in tit. prælatio, núm. 26, 29, 31, 38, 60, 61, 77 et 78.